

TITULUS VII.

DE HÆRETICIS.

54. Hic recolenda est doctrina theologica, quæ de hæresi traditur ad 2. 2. q. 1. Et quidem:—I. *Hæresis* quoad nomen est *electio*, et ex usu Ecclesiæ accipitur pro electione mala sententiæ erroneæ in rebus fidei: quoad rem *hæresis* est, voluntarius et pertinax error contra aliquem articulum fidei elicitus ab eo, qui fidem Christi suscepit.—II. Ignorans mysteria fidei, vel ignoranter aliquid contrarium fidei docens, si ignorantia est crassa et vincibilis, peccat quidem contra præceptum diligentiae necessariæ in rebus fidei: propriè tamen hæreticus non est; quia in illo deficit pertinacia, nisi diversam profiteretur fidem ab ea, quam tenet catholica Romana Ecclesia; ut si teneret fidem lutheranam, calvinianam etc.; tunc enim ignorantia crassa non excusaret illum ab hæresi formali et pœnis hæreticorum.—III. Dubitans de aliquo articulo fidei ab Ecclesia definito, videtur esse hæreticus et infidelis (*cap. l. h. t.*), cum certissimam veritatem non amplectatur; quamvis aliis non videatur hæreticus, cum non eligat sententiam fidei contrariam, sed dubitando, suspendat suum assensum. Quidquid sit de nomine sic dubitando, graviter peccat contra fidem, et in foro externo præsumitur esse hæreticus, ut contra illum inquiri possit.—IV. Error pertinax in fide à catechumeno elicitus, licet theologicè et quoad substantiam sit hæresis, tamen in foro externo, et quoad pœnas non habetur pro hæresi, cum soli baptizati in fide dissentientes propriè et in rigore dicantur hæretici, pœnis obnoxii. Jam in ordine ad nostrum institutum Canonicum.

Nota I. Hæresim dividi:—1.º In *internam*, quæ in sola mente consummatur et solius Dei iudicio subest; ac proinde pœna et absolutio ei datur in foro sacramentali pœnitentiæ; et *externam*, quæ prorumpit in actum exteriorem, sive verbo, sive facto, indicante internam hæresim, et hæc iudicio et pœnis Ecclesiæ subest, sive sit *publica*, sive *oculta*.—2.º In *formalem*, dum quis scienter aliquid contrarium tenet articulis fidei; et *materialem*, dum quis ex simplicitate vel mala instructione errat in aliquo articulo fidei: cujusmodi materiales hæretici dantur, non tantum inter aliquos rudes et simplices ca-

a—Agitur de hac materia in Sexto, Clementinis, et Extrav. com. *h. t.*—In Decreto 1. q. 7. et 23. q. 7. et 24. q. 1.—In Trident. fere per omnes Sess. quoad materias particulares.—In Codice l. 1. t. 5. Nov. 132.

tholicos, sed etiam inter Lutheranos, Calvinianos et alios sectarios, si eis nullus omnino scrupulus occurrat, quod errent in rebus fidei, aut falsam sectam sectentur.

Nota II. Ad hæreticum in foro externo requiri:—1.º Ut ponat actum externum de se mortaliter peccaminosum.—2.º Ut actus ille, consideratis circumstantiis, procedat ex intentione profitendi hæresim, et determinatè significet latentem in animo hæresim. Unde non statim iudicandus est hæreticus, qui die veneris carnes comedit, vel præcisè narrat, vel instruendo manifestat suum errorem, nisi etiam constet, illum carnes comedere ex intentione profitendi hæresim, vel tal. errori adhærere.

Nota III. Cum hæresis sit crimen non tantum gravissimum, sed etiam Ecclesiæ et saluti animarum perniciosissimum, varia contra illud inventa esse remedia: uti est professio fidei de qua *lib. I. tit. I.* dixi: vigilantia Episcoporum, ut hi per se vel suos Vicarios, non obiter, sed seriò et cum zelo visitent singulis annis suas dioceses et suspectos de fide perquirant (*c. 13. §. adjicimus h. t.*) Item prohibitio conventiculorum, promiscuæ prædicationis et disputationis, lectionis librorum hæreticorum, communicationis cum hæreticis, et pœnæ in eos statuta.

55. Q. I. *An hæretici tolerandi sint in terris Catholicorum?*

R. Regulariter negativè: ità *c. 9. v. statuimus insuper, h. t. et v. 11. §. fin. v. statuimus eod. in 6. et fere toto h. t. et l. 2. et seqq. C. h. t.* Nam jus naturale dictat, ut noxii Reipublicæ et civitati removeantur ab ea; sed hæretici maximè sunt noxii Reipublicæ christianæ, cum manifestum perversionis et æternæ damnationis periculum fidelibus afferant; ergò removendi et non tolerandi sunt in terris Catholicorum.—Excipe, nisi justa causa majoris mali vitandi aut boni promovendi, vel pacta publica subsint, ratione quorum tolerandi sint hæretici.

56. Q. II. *An hæretici vitandi sint Catholicis?*

R. Affirmativè, de jure antiquo ex communi præcepto Ecclesiæ, quo fidelibus prohibetur communicatio cum excommunicatis. At de jure recentiori Const. Martini V. incip. *Ad evitanda* in Conc. Constantiensi edita, favor fidelibus concessus est, ut non teneantur vitare hæreticos et excommunicatos, etiam notorios, nisi sint expressè et specialiter denunciati vel notorii clericorum percussores. Unde in Germania licet commercia civilia cum hæreticis iniri, eis conversari, eos, etiam adultos et erroribus imbutos ad scholas Catholicorum recipere etc. Quia verò communicatio in divinis vix fieri potest sine scandalo et periculo perversionis, contemptuque catholicæ religionis, ideo regulariter non licet catholicis communicare in divinis cum hæreticis, v. g. Sacramenta ab eis recipere, templa eorum frequentare, conciones audire, vel lectiones in scholis, præsertim theologicas etc. Cessante causa scandali et perversionis, præsertim si adsit justa causa, licet ex baptismo filios hæreticorum levare, in eorum templis more catholico

orare, conciones audire: et si urgeat gravis necessitas, baptismum ab eis recipere, vel Sacramentum pœnitentiæ, dummodò Presbyter hæreticus sit ritè ordinatus.

Advertendum tamen est cum Bened. XIV. lib. IV. De synod. dicee. cap. 5. num. 2. quod *via unquam accidere potest, ut in pravi sit innoxia catholicorum cum hæreticis communicatio in dividis.*

57. Q. III. *An catholico liceat cum hæreticis disputare de fide?*

R. 1.º Publicæ disputationes regulariter sunt prohibitæ, ne pax et tranquillitas pública turbetur.—2.º Clericis regulariter non licet de fide disputare cum hæreticis (*Can. 36. cum quibus 24. q. 3.*); nam clerici, si indocti sint, exponunt se periculo errandi et alios scandalizandi: si verò docti sint, parùm disputando proficiunt, cùm hæretici plerùmque sint pertinaces, obstinati et in sensu suo nulli legi adstricto abundantes.—3.º Laicis ejusmodi disputatio prohibetur sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ (*c. 1. §. 2. h. t. in 6.*), ubi jus non distinguit inter laicos doctos et indoctos. Neque tamen pœna ista excommunicationis extendenda est ad clericos, cùm versemur in materia pœnali. Similiter prohibetur laicis, ne verbum divinum prædicent (*Can. 29. d. 23.*); imò nec clerici sine auctoritate Episcopi prædicare audeant verbum divinum (*cap. 13. §. 6. h. t.*); nam Christus prædicationis officium non quibusvis, sed Apostolis et Discipulis suis ad hoc specialiter missis, commisit. Tum quia perturbatio, scandala et varii errores ex promiscua prædicatione sequerentur. In Germania laicis doctis videtur permissum cum hæreticis privatim disputare, quia ibi constitutio *c. 2. h. t. in 6.*, non est in usu: imò si hæreticus vellet simplicem catholicum pervertere, debet ei præsens clericus vel laicus doctus contradicendo resistere.

58. Q. IV. *An liceat catholico legere libros hæreticorum?*

Ante resp. nota: Indicem librorum prohibitorum, qui habetur ad calcem Trid. editum fuisse à Pio IV., deinde à Sixto V. aliisque Pontificibus auctum, uti est novus index jussu Alexandri VII. editus. In hoc Indice duæ ponuntur classes librorum: in prima classe ponuntur hæresiarchæ in quacumque materia etiam profana scribes, ut Lutherus, Calvinus, Zwinglius etc., quia damnato auctore, damnantur omnia ejus scripta (*c. 4. h. t.*) Item libri auctorum hæreticorum hæresim continentes, vel de religione tractantes, etsi hæresim non contineant. In secunda classe ponuntur libri, non propter auctorem sed propter malam doctrinam prohibiti: uti sunt illi, qui artem magicam, astrologiam judiciariam, res obscenas et lascivas vel doctrinam suspectam et rectæ theologiæ dissonantem continent. Libri tertiæ classis non habent certos auctores: si tamen de religione vel hæresim contineant, sitque suspicio, quòd ab hæretico sint compositi, reducuntur ad classem primam; secùs ad secundam. In Indice Alexandrino omnes libri, quibus nota primæ classis non apponitur, referendi sunt ad classem secundam.

R. 1.º Libri hæreticorum primæ classis prohibentur sub excommu-

nicatione latæ sententiæ Sedi Apostolicæ rrservata: ità ex perpetuo usu Ecclesiæ statutum est in Conc. Constantiensi *Sess. 8.*, Lateran. sub Leone X. *Sess. 10.*, in Trid. *Sess. 4.* et præsertim in casu 1.º *Bullæ Cœnæ*. Hujusmodi sunt:—I. Hæresiarchæ in quacumque materia scribes. —II. Libri hæreticorum profani, ut medici, historici, juridici et alii hæresim continentes: et quamvis aliqui velint id intelligi de libris, qui incidenter continent hæresim studiosè et plenè probatam atque defensam, tamen attento rigore Bullæ Bœnæ, videntur comprehendi etiam illi libri, qui hæresim continent obiter relatam et perfunctoriè tantùm assertam atque probatam; quia jam verum est, quod hæresim contineant.—III. Libri hæreticorum de Religione tractantes, etsi nullam hæresim contineant; quia in detestationem auctoris tales libri damnantur. Parum autem refert, an libri isti sint impressi, an scripti, cùm etiam scripta nomine librorum veniant sicut olim, antequàm typographia fuisset inventa.—IV. Probabilior et tutior est sententia, quam tenet Suarius, Farinac., Reiff. contra Sanch., Laym., Schm. et alios, sub nomine *libri* venire scripta breviora, quæ decem minora folia non attingunt: uti est epistola, concio, disputatio hæreticorum, in quibus hæresis continetur; ideoque secum trahere excommunicationem Bullæ Cœnæ; nam etiam in paucis foliis concionem vel disputationem hæreticam continentibus, multiplex virus latere potest et nocere fidelibus: ob quod etiam ex magno libro non licet legere epistolam dedicatorem, vel summaria capitum. Pro hac sententia dicitur stare declaratio sac. Congr.

2.º Dicta excommunicatione ligantur:—I. Qui legunt præfatos auctores sive per se, sive per alios, per quos jubent sibi illos prælegi; quia moraliter et in effectu ipsi legere censentur, nisi per accidens et sine suo jussu audirent alium legentem. Requiritur autem, ut quis legat hæreticum *scienter*; quia ignorans excusatur à censura: *formaliter*, seu ut intelligat et in *notabili quantitate*: quæ cùm jure determinata non sit, prudentis arbitrio determinanda erit: Toletus dicit unam vel alteram lineam sufficere: Sanchez verò docet unum folium ex magno volumine non sufficere ad excommunicationem. Prior opinio nimis rigorosa est; posterior nimis laxa; media prævalebit, docens aliquid minùs folio sufficere ad incurendam censuram.—II. Eadem excommunicatione tenentur imprimentes vel imprimi facientes, retinentes domi suæ vel alibi, vel scripto aut verbo defendentes libros hæreticos, uti et occultantes illos, ne deveniant in notitiam Inquisitorum.

3.º Libri secundæ classis ob hæresim vel falsi dogmatis suspicionem damnati, prohibentur legi aut retineri sub pœna excommunicationis non reservatæ: ceteri verò ex alia causa damnati, sub peccato mortali et pœna arbitraria ex *reg. 19. Indic. §. Quodsi quis* (qui in casu 1. Bullæ Cœnæ prohibentur sub excommunicatione reservata) *vel cujusvis auctoris scripta ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita legerit sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat. Qui verò libros alio nomine interdictos legerit aut habue-*

rit, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, iudicio Episcoporum severe puniatur. Eadem verba reperiuntur in Bulla Pii IV. *Dominici gregis* præfixa Indic. Ex his textibus limitanda est doctrina auctorum, qui indistinctè asserunt libros secundæ classis prohiberi sub excommunicatione non reservata; nam illi solùm sub hac pœna prohibentur, qui ob hæresim vel falsi dogmatis suspicionem damnati sunt: ceteri verò, v. g. libri magici, res obscænas et moribus fidelium adversas continentes, vel habentes doctrinam non satis consonam Constitutionibus Apostolicis, prohibentur legi sub peccato mortali et pœna arbitraria pro qualitate delicti. Regul. Indicis habentur ad calcem Trident.

4.º Libri hæreticorum sub pœna excommunicationis, aliisque pœnis contra hæreticos latis extradi debent Inquisitoribus, vel, ubi hi non sunt, Episcopis, neque sufficit privata auctoritate eos comburere, nisi actor jam aliunde notus esset Inquisitoribus, ex Constit. Julii III. *Cùm meditatio*. Excipe ab his resolutionibus libros Origenis et Tertuliani, quorum lectio ob utilitatem permittitur, cùm errores illorum jam extincti sint, nullumque perversionis periculum afferant.

5.º In bibliothecis monasteriorum, loco separato et clauso, licitè asservantur libri prohibiti (Reiff. à n. 129.); nam prohibitio Bullæ Cœnæ non extenditur ad hunc casum retentionis: tum quia Papa solet Regularibus concedere licentiam legendi libros hæreticos; quæ licentia ferè inutilis esset, si retentio talium librorum eis non esset licita: tum quia expedit tales libros præ manibus haberi, ut obtenta legendi licentia, faciliùs hæretici possint confutari: tum denique quia consuetudo ità interpretatur Bullam Cœnæ.

59. Q. V. *An Bulla Cœnæ quoad prohibitionem librorum, et Index librorum prohibitorum recepta sint in Germania?*

Negant nonnulli, qui facilè legis jugum excutere solent; sed contrà sentiunt viri alii docti et timorati.

60. Q. VI. *Quæ sint pœnæ spirituales latae in hæreticos et eorum credentes, receptores, fautores et defensores?*

Ante resp. nota, *Credentes* dici illos, qui licèt actu nihil credant contra fidem, tamen in verbis et factis exterioribus profitentur sectam hæreticorum, v. g. communiter frequentando eorum templa, conciones audiendo, eisque volendo adhærere, saltèm si motiva sufficientia proposita fuerint. *Receptores* seu receptatores, qui hæreticis hospitium præbent, ne veniant in manus iudicum. *Defensores*, qui tuentur, vel personas hæreticorum, vel errores eorum *fautores*, qui hæreticis quæ talibus favorem præstant, vel positivè, eos laudando, vel negativè, ut ommittendo denunciationem, capturam, custodiam.

R. Seqq.:—1.º *Excommunicatio* latæ sententiæ Papæ reservata, in 1.º Casu Bullæ Cœnæ.—2.º *Privatio sacræ sepulture*, ut dixi lib. 3. tit. de sepult.—3.º *Privatio jurisdictionis ecclesiasticæ*, dignitatum et beneficiorum, et inhabilitas ad illa obtinenda; licèt talis privatio in effectu non sequatur, nisi post sententiam declaratoriam criminis.—

4.º *Irregularitas* ratione infamiæ orta probabiliùs etiam ex hæresi occulta, cùm jura non distinguant: ità hæc omnia statuuntur c. 7. 8. 9. 13. 15. *h. t.* et expressiùs c. 2. *cod. in 6.* et in casu 1. Bullæ Cœnæ. Ista irregularitas ligat etiam filios usque ad secundam generationem (c. 2. §. *Hæretici h. t. in 6.*) Si tamen occulta est, dispensari potest ab Episcopo ex Trid. S. 24. c. 6. *de refor.*

61. Q. VII. *Quæ sint pœnæ temporales hæreticorum?*

R. 1.º Infamia non tantùm *facti*, sed etiam *juris*, ipso jure incurrenda, licèt effectum non pariat, nisi post sententiam declaratoriam criminis (*Can. 17. infames 6. q. 1. etc. 13. §. 5. h. t.*) Infamia ista non transfunditur in filios et nepotes, ne hi sine claro textu alieno delicto prægraventur. Neque extensio est faciendâ ab infamia, quam contrahunt filii ob paternum crimen læsæ majestatis, quia in hac materia pœnali extensio pœnarum non est faciendâ. Neque paritas est ab irregularitate; hanc enim contrahere possunt filii ob delictum paternum, quin sint infames.—2.º Amissio patriæ potestatis in liberos, uti et aliorum privilegiorum à jure concessorum (c. 2. §. *fn. h. t. in 6.*) Hæc pœna extendi non debet ad receptores, fautores et defensores hæreticorum.—3.º Privatio dignitatum et honorum, actuumque legitimorum, et inhabilitas ad officia publica: et ideo hæretici non possunt esse iudices, advocati, testes etc. (c. 13. §. *credentes h. t.*); nam infamibus talia officia denegantur.—4.º Liberatio subditorum, vasallorum et servorum à fidelitate et obsequiis domino præstandis, modò secuta sit sententia criminis declaratoria (c. *fn. h. t.*), quo casu servi catholici liberi fiunt, neque rediguntur in servitutem, etsi postea domino resipiscenti cetera bona ex beneficio principis restituantur (l. 4. §. *fn. C. h. t.*), quia libertas semel acquisita non est adimenda (l. 1. 2. C. *si advers. libert.*) Si verò servi pariter erant hæretici, confiscantur cum aliis rebus domini, cùm sint pars bonorum (l. 52. *ff. de A. R. D.*) Pœnam istam potiores DD. comprehensivè extendunt ad alia jura et obligationes, quibus quis hæretico obligatus fuit, quia nomina et jura confiscantur, et aliæ obligationes evanescent. At si quis deinde cum hæretico pacta et contractus licitos ineat, fidem etiam infideli servare debet ex jure naturali (c. 3. *de pact.*)—5.º Intestabilitas tam activa, quàm passiva, ità ut hæreticus nec de bonis suis testari, nec in alienis bonis allodialibus aut fideicommissariis succedere possit (c. 13. §. *credentes, h. t. l. 4. §. 2. l. 5. v. cunctis, et l. ult. C. h. t.*), quibus textibus hæretici incapaces redduntur ad successiones hæreditarias, et consequenter locus est hæredibus venientibus ab intestato: non verò hæreditas applicatur fisco, cùm non auferatur hæretico ut indigno, sed ut incapaci hæreditariæ successionis. Ad hanc pœnam necessaria est sententia iudicis criminis declaratoria, et de bonis ante illam quæsitis, vel ipso jure non valet testamentum, vel saltèm rescindi potest: de illis verò bonis, quæ post sententiam acquisivit, potest hæreticus testari, cùm talia bona non cadant sub confiscationem, ratione cujus testamentum prohibetur.—6.º Confiscatio omnium bonorum, ità ut

nec filiis catholicis aliquid de bonis patris hæretici relinquendum sit, nisi causa commiserationis suaderet benignitatem rigori juris præferri (c. 20. et c. 13. §. 1. h. t. l. 4. C. eod), dummodò proferatur sententia criminis declaratoria (cap. 19. v. confiscationis h. t. in 6.), etiam post mortem hæretici, antequàm præscribatur spatio 40 annorum: et tunc sententia post mortem lata retrotrahitur ad tempus delicti, et ab eo tempore res omnes cum fructibus restituendæ erunt (cap. 8. §. 7. h. t. in 6.) Bona confiscata laicorum in terris Ecclesiæ applicantur fisco Ecclesiæ, et in terris Imperii fisco sæculari (c. 10. h. t.) At bona clericorum, si acquisita sunt intuitu Ecclesiæ, ei applicantur (c. 13. §. 1. h. t.): bona verò patrimonialia, tanquam accessoria, applicantur fisco ecclesiastico, nisi de consuetudine transire debeant ad fiscum sæcularem. Cetera observantur, sicut in confiscatione ob crimen læsæ majestatis. Unde in confiscationem bonorum non veniunt bona post sententiam quæsita, nec majoratus, aut fideicommissum ante delictum institutum, nisi quoad commoda et usumfructum pro eo tempore, quo hæreticus vivit: nec bona castrensia, vel quasi, vel adventitia filiorum, nisi isti hæretici fierent: nec dos uxoris, nisi hæc scienter contraxisset cum hæretico (c. 14. h. t. in 6.)—Tandem septima pœna contra hæreticos pertinaces est ultimum supplicium: ità de jure Can. in Conc. Chalced. *Action. 1. ibi: Si Eutyches præter dogmata Ecclesiæ sapiat, non solum pœna dignus est, sed et igne* (et c. 9. 15. h. t. c. 1. eod in 6. et c. de jure civ. l. 4. §. 4. l. 5. 8. C. h. t.) Nam gravitas tanti sceleris, fidei et publicæ tranquillitati summè adversi meretur ultimum capitale supplicium. De hodierna consuetudine hæretici impœnitentes, præsertim hæresiarchæ, vivi comburuntur: pœnitentes verò exilio et pœna triremium per tres annos puniuntur, nisi relapsi fuissent; tunc enim sacramenta pœnitentibus ministrantur, sed pœna strangulationis et ignis rarò remittitur.

62. Q. VIII *Quis sit judex in crimine hæresis?*

R. 1.º Ecclesiasticus privativè, sive hæresis principaliter, sive incidenter, sive in quæstione juris aut facti deducatur in judicium: ità c. 18. v. *prohibemus h. t.*, quæ constitutio confirmata est à pluribus Pontificibus. Nam hæresis est crimen merè ecclesiasticum ex sac. literis et Ecclesiis Canonibus judicandum, etiam in quæstione facti, quæ vix separatur à quæstione juris: et ità correctæ sunt leges civiles c. 1. §. *fn. ff. de sum. Prin. l. 8. §. fn. C. h. t.* Unde judex laicus, licèt hæreticum capere possit tradendum curiæ ecclesiasticæ, non tamen eum examinare potest, nec sententiam judicis ecclesiastici discutere, sed eam absque dilatione exequi tenetur, nisi notoriè esset injusta propter falsa testimonia etc.: quo casu tenetur judicem ecclesiasticum informare.

2.º Judices ordinarii in causa hæresis sunt.—I. Papa.—II. Legatus à latere (cap. 12. h. t.), licèt hodie absque speciali mandato Papæ Legati apostolicæ Sedis se non intromittant causis hæreticalibus (Far. Passer.)—III. Episcopus, vel sede vacante, capitulum, et prælatus in

suo territorio jurisdictionem episcopalem exercens.—IV. Inquisitores S. Officii, antea erant judices delegati; nunc ferè ordinariam potestatem habent.

63. Q. IX. *Quis absolvere possit à crimine hæresis?*

R. 1.º Si crimen diffamatum est, vel deductum ad forum contentiosum per viam accusationis, denunciationis aut inquisitionis, nullus præter Papam ab illo absolvere potest; nam crimen hæresis, et excommunicatio ei annexa reservata est Sedi Apostolicæ (Bulla Cœnæ §. *Ceterum*), nisi potestas ista specialiter sit alicui delegata.

2.º Si crimen hæresis occultum est, hodie post Bullam Cœnæ non possunt ab illo pro foro interno absolvere Episcopi: ità Garcias, Barbosa., Schmal., Reiff. cum citt.; et Fagn. c. *dilectus de temp. ordin. n. 30.* dicit frustra articulum istum deduci in controversiam, cum habeamus claram declarationem S. Cong. Conc., quòd per Bullam Cœnæ derogatum sit potestati Episcoporum concessæ à Trid. S. 24. c. 6. *deres. Prob. ex cit. Bulla §. Ceterum: ibi: Etiam prætextu quarumvis facultatum, et indulgentiarum quibuscumque personis ecclesiasticis etiam episcopali, vel alia majori dignitate præditis per nos et dictam Sedem, aut cujusvis Concilii decreta, concessorum etc.*; ex quibus verbis ità arguo: per Bullam Cœnæ generaliter tollitur Episcopis potestas absolvendi ab hæresi, quocumque privilegio, vel decreto Concilii concessa; sed nulum aliud Concilium, nisi Trid. l. c. concessit Episcopis facultatem absolvendi ab hæresi occulta; ergò facultas ista revocata est per clausulam Bullæ Cœnæ: et ità declaratum fuisse non tantùm à sac. Congr., sed etiam à Gregor. XIII. et Clem. VIII. testantur Genuens. Nec obstat, quòd in clausula Bullæ Cœnæ non fiat specifica mentio Tridentini; nam cum hoc sit pars juris communis, non præsumitur ignorari à Papa condente Bullam Cœnæ (cap. 1. *de constit. in 6.*).—Nec obstat etiam, quòd Bulla Cœnæ generaliter loquatur de hæresi, et Trid. specialiter de occulta; nam clausulam Bullæ procedere de hæresi in omni sua specie sive publica, sive privata, sæpius declaravit sac. Cong. Quo facit prop 3.º ab Alex. VII. damnata his verbis: *Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutio nem hæresis et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in quo de occultis criminibus sermo est, an. 1629. die 8. Julii in Consistorio sac. Cong. Emin. Cardd. visa et tolerata est.* Opposita sententia, quam etiam tenet Pichler et Barbosa plures DD. pro ea allegat, licèt speculativè videatur probabilis, in praxi tamen minùs secuta est.

3.º In casu impedimenti proluxioris aut perpetui, possunt Episcopi absolvere ab hæresi occulta, dummodo pœnitens sub juramento promittat, quod sublato impedimento, præsentare se velit conspectui apostolico: ità com. Nam casus papalis, dum ob impedimentum Papa pro absolutione adiri non potest, fit episcopalis ex recepta consuetudine et tacito consensu Papæ. Imò Episcopi ab Urbe remotiores, præsertim in Germania, via præscriptionis videntur acquisivisse jurisdictionem absolvendi impeditos sine onere seu obligatione sistendi se

conspectui Papæ. Neque tali casu impeditus tenetur per procuratorem vel litteras Roma absolutionem à censuris petere, quia id non exigitur à jure, sed solùm, ut reus personaliter accendat Papam; Reiff. et alii. Praxis hodierna, qua Episcopi, præsertim Germaniæ, à Papa facultatem petunt absolvendi ab hæresi, est omninò securissima, uti etiam recursus ad sac. Pœnitentiariam, quia hoc modo sacramentum Pœnitentiæ sine ulla anxietate, aliàs ex contrariis sententiis oriri solita, administratur.

4.^o Episcopi post Bullam Cœnæ, ubi officium S. Inquisitionis non est introductum, possunt absolvere ab hæresi pro foro externo, exceptis hæresiarchis et relapsis: ità com. ex c. 11. *pr. h. t. in. 6.* Nam Episcopi tenent locum Inquisitorum, ubi isti non reperiuntur. Porrò hæc absolutio in foro externo data, prodest absolutis, ut deinde in foro interno à quocumque simplici confessario absolvi valeant. At contrà absolutio hæretici pro foro interno non prodest ei pro foro externo, sed in hoc convictus condemnatur ad pœnam et vindictam publicam; Sanch., Reiff. et alii.

5.^o Regulares de jure ordinario non possunt absolvere ab hæresi occulta hæreticos seculares; nam nullo jure ordinario id reperitur concessum. Unde Alex. VII. damnavit hanc propositionem n. 4: *Prelati regulares possunt in foro conscientie absolvere quoscumque seculares ab hæresi occulta et ab excommunicatione propter eam incursa.* Similiter de jure ordinario prælati suos religiosos nequeunt absolvere ab hæresi occulta: quia talis potestas eis tollitur per Bullam Cœnæ (*cit. §. cæterum.*)

6.^o Regulares de jure speciali extra regiones, ubi est Officium S. Inquisitionis possunt absolvere ab hæresi occulta et excommunicatione incursa ob lectionem librorum hæreticorum: ità probabiliter tenent graves DD. Nam Regularibus data sunt privilegia specificè exprimentia casum hæresis: sic Julius III. Const. *Sacræ religionis* die 22. Oct. 1552. dat Societati Jesu facultatem *quoscumque à casibus hæresis et aliis contra fidem, et consequentibus censuris quibuscumque absolvendi.* Eadem facultatem dedit Greg. XIII. 28. Mart. 1584. absolvendi ab hæresi et relapsu in hæresim. Quod privilegium, ut ait Suar., absolutum est, et sine ulla limitatione: item Clem. VIII. teste Gobat in Th. Exper. *tr. 7. n. 638.* amplissimam potestatem absolvendi ab hæresi dedit Carmelitis discalearis pro Gallia, Flandria, Germania, Polonia. Greg. XIII, teste Urbano Carmel., concessit servis B. V. privilegium, ut possint suos etiam à relapsu in hæresim absolvere. Ratio pro his regionibus septentrionalibus specialis est, quod hic ob difficilem recursum ad Papam casus papales, sicut fiunt Episcopales, ità et fiunt regulares. Præterea ex usu et consuetudine Germaniæ Prælati regulares suos religiosos, non secus ac Episcopi suos diœcesanos, judicant in causa hæresis, et reis convictus condignas pœnas infligunt; ut si regularis in apostasia hæreticam sectam amplectatur: tunc enim reversus vel captus, non ab Episcopo, sed à

prælato regulari judicatur ac punitur. Et hæc consuetudo videtur nobis optimè interpretari Bullam Cœnæ, quomodo hæc pro regionibus nostris sit intelligenda. Ceterum quamvis sententia ista sit omninò probabilis, quia tamen versamur in materia obscura, cui utinam lucem afferret decisio pontificia, ideo consultum fore judico, ut prælati regg. ad majorem securitatem et cautelam pro suis religionis confessariis facultatem absolvendi ab hæresi petant ab Ordinariis, qui eam specialiter habent à Papa cum potestate delegandi. Quo in genere laudanda est ordinatissima Archidieceps Pragensis, in qua ob spiritualem pœnitentium utilitatem plerisque confessariis regularibus conceditur facultas absolvendi ab hæresi: atque ità cessant scrupuli et jurgia de valore horum privilegiorum.

Dices cum P. La Croix: Privilegia ista singulis annis revocantur per promulgationem Bullæ Cœnæ.

R. Neg. assertum: nam in his privilegiis à Sixto V. et Clem. V. expressè ponitur illa clausula: *nisi in privilegiis casus, in Bulla contenti expressè concederentur;* et ubi clausula ista non ponitur, tacitè intelligitur, ut ait Alterinus apud Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2 c. 5 n. 2.* Imò assertum multum probat, quòd scilicet facultas specialis absolvendi ab hæresi concessa Episcopis Germaniæ singulis annis revocetur per promulgationem Bullæ Cœnæ. Sicut ergò Episcopis, Nuntiis Apost., ità quoque Regul. concessa sunt privilegia cum intentione præveniendi revocationem Bullæ Cœnæ; et consequenter non censetur revocari, nisi intentio ista seu voluntas Papæ per speciales terminos revocetur.

7.^o In articulo mortis quilibet sacerdos absolvere potest ab hæresi: ità casus iste excipitur in clausula Bullæ Cœnæ, *nisi in articulo mortis,* seu in probabili periculo mortis, v. g. in conflictu bellico, periculosa navigatione etc. Tum quia in articulo mortis cessat omnis reservatio, et quilibet verus sacerdos, etiam hæreticus, accipit jurisdictionem absolvendi in tali casu (*Trid. sess. 14. c. 7. de ref.*) Impedimentum perpetuum, quo nec Papa, nec Episcopus adiri potest, æquiparatur articulo mortis, non verò aliud; quia si Papa adiri nequit, adiri potest Episcopus vel alius privilegiatus.

8.^o In generali potestate absolvendi à casibus Papæ reservatis, vel à casibus Bullæ Cœnæ, non venit potestas absolvendi ab hæresi, v. g. tempore Jubilæi, nisi specialiter exprimatur: ità fertur declarasse Alex. VII. die 23. Martii 1656, idemque probat usus et stylus curiæ romanæ, qui hoc in puncto vim legis habet. Nam ex *reg. 81. in 6.*, in generali concessione non videtur venire hæc specialissima potestas absolvendi ab hæresi; neque Papa præsumitur per terminos generales derogare tot juribus in favorem fidei latis. Opposita sententia P. Gobat et aliorum docentium in potestate absolvendis à casibus Bullæ Cœnæ venire potestatem absolvendi ab hæresi, theoreticè videtur probabilis, sed minùs tuta in praxi, nisi forsàn pro Germania.

Quomodo Principes catholici inire possunt fœdera cum hæreticis, consule Reiff. à n. 157. ubi de hac materia doctè scribit.